

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CXXXII. Petrus Suo Et Collegarum Nomine Inquirit De
Compensatione, Qvod Propter Christum Omnia Deseruissent. Dominus
Respondet, Et Addit Parabolam De Conductis Operariis In Vineam. Matth.
19. ...

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

multis in locis vidimus , sive consequendi regni terreni , in quo profecto opes & facultates amplias , atque spolia prima à gentibus reportare vellent . Postquam ergo nunc sentiunt , per hunc opulentum adolescentem , qui propter Christum opes suas deserere nolebat , omnes eos moneri , qui ejusdem essent ingenii , jam dolet ipsis non tam aliorum perditio , quos fiduciam in opibus collocare videbant , quam propria sua conditio ; quas ampla illa sive de possidendis mundi opibus , turpiter excidisse metuebant . In eo tamen ; quod ipsi pauperes dolent de perdizione divitium , redargunt modernos ordines Mendicantium inter Pontificios . Qui , quoniam sua ex inconsiderato voto deseruerunt , & in claustra le abdiderunt , magnifice de sua egestate gloriantur , divitibus suam fortunam invidunt , eos superciliosae damnant , se vero per paupertatem suam voluntariam cœlum mereri sibi persuadent . Inepti homines , qui non possunt intelligere aliud esse , habere divitias , & aliud *confidere in divitiis* . Neque semper sequitur ab opum cupiditate alienos esse eos , qui vel turpiter eas prodegerunt , vel inani superstitione persuasi reliquerunt . Et quemadmodum modo diximus , divitias ex benedictione Dei datae , si recte administrentur , neminem damnare , ita hic quoque dicere cogimur , paupertatem per se neminem salvare . Neque enim ulla paupertas habet salutis meritum , excepta ea , de qua Paulus scribit 2. Cor. 8. v. 9. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi , quoniam propter vos egenus factus est , cum esset dives : ut illius inopia vos divites essetis . Si quis tamen ex Dei voluntate & dispensatione pauper sit , & egenus , is non desperet , sed pietati studeat , precibus vacet , & fiduciam suam in Domino collocet , qui ipsis in difficultatibus constituto , paterna sua ope succurrere potest .

Postremo Dominus Jesus , qui nunquam suis , neque consernatis , neque pavefactis deest , ut conceptam animi tristitiam in discipulis mitigaret , benigne *eas intuitus est* , ut sic mansuetu suo oculo turbationem mentis eorum sedaret , & simul etiam verbis consolatione plenis , quibus divinam virtutem ipsis considerandam proposuit , eos ad confidentiam exhortatus est . Dixit enim : *Apud homines hoc impossibile est , sed non apud Deum* . O-

mnia autem que impossibilia sunt apud homines , possibilia sunt apud Deum . Duo complectitur hac responsio membra . Primum concedit *apud homines impossibile esse* , ut non tantum dives , sed in genere quisquam hominum salvus fiat . Ea enim nunc est , post tristem primorum parentum lapsum , omnium hominum conditio , ut natura omnes terrenis addicti , celestia negligant , nisi divina regeneratione animi ipsis mutentur , ut terrena despiciendo , celestia suspicere incipient . Quapropter omnino humana virtute nemo salvatur , sed divina requiritur gratia , qua id , quod antea erat impossibile , ipsis benignitate reddatur facile . Ubi probe notandum , quod Christus discipulos de salute tanta sua , quam aliorum consernatos , non remittit ad natura sua vires , aut liberi arbitrii sui fiduciam , quibus impossibile esse testatur , ut homo salvetur : sed simpliciter ad gratiam Dei . Quo ipso concidit officina Papæ , & sumptuosa illa meritorum , tam priorum , quam alienorum , suppellex , quam multi magno ære coemere . Hæc enim quicquam ad salutis promotionem facere Christus hic negat , dum affirmat : *apud homines hoc impossibile est* . 2. Sed alterum responsionis membrum , qua ratione tam divites , quam pauperes facile salvari possint . *Apud Deum omnia sunt possibilia* . Hic enim per Spiritus sui gratiam corda hominum regenerat , & in iis operatur , quæ alias ipsis essent impossibilia . Sic divitum multorum rerum amore & cupiditate abstracta , tanquam cœlestia desiderant . Efficit etiam , ut alacres vel abjicient & deserant , quæ possident , vel , quasi non possiderent , sint affecti , parati non tantum illa , sed etiam ipsam vitam impendere , si Dei gloria , & religionis negotium id postulant . Hoc in Apostolis præstitum esse videmus , qui post acceptum Spiritum sanctum , cum consernatione hac de rebus temporalibus earundem desiderium omne abicerunt , contenti eo , si per Dei gratiam cœlestia Christi regnum in hoc mundo propagare possent . Omnes eodem modo affecti , quo Apostolus Paulus Phil. 4. v. 11. de se scribit : Ego didici , in quibus sum , contentus esse . Scio & humiliari , scio & abundare (ubique , & in omnibus institutus sum) & satiari & esurire , & abundare ; & penuriam pati , omnia possum in eo , qui me confortat .

PETRUS SUO ET COLLEGARUM NOMINE INQUIRIT DE COMPENSATIONE , QVOD PROPTER CHRISTUM OMNIA DESERUSSENT . DOMINUS RESPONDET , ET ADDIT PARABOLAM DE CONDUCTIS OPERARIIS IN VINEAM . MATTH. 19. v. 27. & 20. v. 1.
MARC. 10. v. 28. & LUC. 18. v. 28.

R A T I O O R D I N I S.

Hec ad antecedentianon interrupto ordine sequi non tantum unanimis trium Evangelistarum consensus ostendit : sed etiam particula *tote , tunc* , quam Matthæus ponit , evincit . Et quidem sic arte cohærent , ut multi hanc histo-

Harm. Tom. I.

riam cum priore in unum capit conjungant . Verum , quia dubium non est , hanc fuisse peculiarem & privatam cum Apostolis actionem , cui postea parabola aptissime subjungitur , ideo eandem peculiari capite etiam explicabimus .

Z z z z z

PETRUS

PETRUS CUPIT NOSSE PRÆMIUM APOSTOLATUS.

MATTH. 19.

27. Τόπε δποκρθεῖς ὁ πίτερος, εἶπεν ἀντῷ· οὐδὲ ἡμεῖς αὐτοὶ πάντα, καὶ οὐλογήσουμεν σοι, τὸν αἴρειν ἡμῖν;
28. Οὐ διὰ τούτων εἰπεν αὐτοῖς ἀμέν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀπολεγόμενοι μοι εἰς τὴν παλιγγένεσιν, οἵτινες καθίσης ὁ ψυχὴ αὐτοῦ πάντας ἔσται θρόνος δόξης αὐτῶν, καθίσοντες καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνος, καὶ λογοτείς τὰς δώδεκα Φυλὰς ἐπαρχοῦσι.
29. Καὶ πᾶς ὁ αὐτοῖς οἰκίας, η ἀδελφὸς, η πατέρα, η μητέρα, η γυνাকα, η τεκνα, η ἀρρεβος ενεκεν τὸν ὄντας μόνον, εκατονταστάσοντα ληψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει.
30. Πολλοὶ δὲ ἔσονται ἀράτοι, ἔχατοι καὶ ἔχατοι, ἀράτοι.
27. Tunc respondens Petrus, dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?
28. Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sedetur filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.
29. Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vita aeterna sortitur hereditatem.
30. Multi autem primi erunt novissimi, & novissimi primi.

MARCHI 10.

28. Καὶ ἤρξατο ὁ πίτερος λέγειν ἀντῷ. οὐδὲ ἡμεῖς αὐτοὶ πάντα, καὶ οὐλογήσουμεν σοι.
29. Αποκρθεῖς δὲ ὁ Ἰησος, εἶπεν, αἱμην λέγω ὑμῖν, οὐδέποτε δύνασθε, οἱ αὐτοῖς οἰκίας, η ἀδελφὸς, η ἀδελφὸς, η πατέρα, η μητέρα, η γυνακα, η τεκνα, η ἀρρεβος ενεκεν ἑμών καὶ τὸν ἔντερον ληψεται.
30. Εάν μη λάβῃ εκατονταστάσοντα νῦν εἰς τῷ καιρῷ τότοις οἰκίας, καὶ ἀδελφὸς, η ἀδελφὸς, η μητέρα, η τεκνα, καὶ ἀρρεβος μόνον διωγμῶν, καὶ εἰς τῷ αἰώνιῳ τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον.
31. Πολλοὶ δὲ ἔσονται ἀράτοι, καὶ οἱ ἔχατοι ἀράτοι.
28. Et cœpit Petrus dicere illi : Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.
29. Respondens autem Jesus, dixit : Amen dico vobis : Nullus est, qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, mea causa, & Evangelii.
30. Quin recipiat centupla, nunc in tempore hoc, domus, & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros cum persecutionibus, ac in seculo venturo vitam aeternam.
31. Multi autem primi erunt postremi, & postremi primi.

LUC. 18.

28. Εἶπε δὲ ὁ πίτερος· οὐδὲ ἡμεῖς αὐτοὶ πάντα, καὶ οὐλογήσαμεν σοι.
29. Οὐ διὰ τούτων, αἱμην λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς δύναται, οἱ αὐτοῖς οἰκίας, η γυνακα, η τεκνα, ενεκεν τὸν βασιλείαν τὸν θεόν,
30. Οὐς δὲ μὴ διπλάσιη πλαστασίαν εἰς τῷ καιρῷ τῷ, καὶ ἐν τῷ αἰώνιῳ τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον.
28. Ait autem Petrus : Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.
29. Hic vero dixit eis : Amen dico vobis, quod nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos, propter regnum Dei.
30. Qui non recepturus sit multo plura in hoc tempore, & in seculo venturo vitam aeternam.

Harmonia hujus Historiae.

b Καὶ α τόπε δποκρθεῖς b ἤρξατο l ὁ πίτερος b λέγειν καὶ α εἶπεν εἰπτα. οὐδὲ ἡμεῖς αὐτοὶ πάντα, καὶ οὐλογήσαμεν σοι, α τὸν αἴρειν ἡμῖν; b δποκρθεῖς l δε εἰς ὁ Ἰησος l εἶπεν εἰπτα. οἱ αὐτοὶ πάντας ἀμέν λέγω ὑμῖν, οἱ πάντας οἱ αὐτοὶ λεγόμενοι μοι, εἰς τὴν παλιγγένεσιν, οἵτινες καθίσησθε ὁ ψυχὴ αὐτοῦ πάντας ἔσται θρόνος δόξης αὐτῶν, καθίσοντες τὰς δώδεκα Φυλὰς ἐπαρχοῦσι. καὶ πᾶς οἱ αὐτοῖς οἰκίας, η ἀδελφὸς, η ἀδελφὸς, η πατέρα, η μητέρα, η γυνακα, η τεκνα, b η ἀρρεβος, η ενεκεν τὸν ἑμών καὶ τὸν ἔντερον ληψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει. b Άμην λέγω ὑμῖν. c οτι δε εἰπεν οἱ αὐτοῖς οἰκίας, η ἀδελφὸς, b η ἀδελφὸς, b η πατέρα, η μητέρα, η γυνακα, η τεκνα, b η ἀρρεβος, b η ενεκεν b ἑμών καὶ τὸν βασιλείαν τὸν θεόν c οτι δε εἰπεν οἱ αὐτοῖς οἰκίας, η ἀδελφὸς, b η ἀδελφὸς, b η πατέρα, η μητέρα, η γυνακα, η τεκνα, b η ἀρρεβος, b η ενεκεν b ἑμών καὶ τὸν βασιλείαν τὸν θεόν

b Et a tunc respondens b cœpit l Petrus b dicere, & a dixit c ei : l Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, a quid ergo erit nobis? b Respondens l autem c Jesus l dixit f eis : l Amen dico vobis, quod vos, qui secuti me estis, in regeneratione, cum sedetur filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vita aeterna sortitur hereditatem. Amen dico vobis, c quod h nemo est, qui reliquit domum, aut fratres, b aut sorores, h aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, b aut agros, mea causa, aut Evangelii, c & propter regnum Dei, h quin recipiat c multo plura, b nunc καιρῷ

καὶ οὐ τέτοιος, ἢ οὐδὲ λόγος, ἢ οὐδὲ λόγος, ἢ μητέρας, ἢ πάντας, ἢ σύζεχος μηδὲ διαγνωστός, ἢ γένετος αἰώνων τῷ ἐρχόμενῳ ζωὴν αἰώνιον. εἰ πλάκατος ἔσται τοῦτο τοῖχος, καὶ οἱ ἔχαστοι τελῶται.

h in tempore hoc, b domus, & fratres, & sorores, & matres, & liberos, & agros cum persecutoribus, h ac in seculo venire vitam aeternam. e Multi autem primi erunt novissimi, & novissimi primi.

Perioda hujus Colloquii Petri cum Christo.

Petrus nondum potest conquiscere in hoc negotio, ipse cum suis collegis Christum secutus est, non ea intentione, quod perpetuo pauperesse velit, sed hac spe, quod amplissimam compensationem a Christo accepturi sint, quam certe in externis opibus & facultatibus hujus mundi consistere statuerunt. Prater spem itaque ipsis accidit, quod de periculosa divitium conditione, & quod ipsis fere spes omnis vita aeterna praeciditur, nuper audiverunt. Movet ergo Christo hanc quaestionem: Ecce nos reliquias omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? Magnificus sane sermo: sed eo ipso Petrus exprimit cum sui ingenii, tum totius humani generis sollicitudinem, quomodo nihil boni sine mercede vel sine praemio vult agere. Nam prater cetera infinita discrimina inter Deum & homines, etiam hoc non est postremum, quod quemque Deus bona facit, illa facit nulla necessitate, nulla sua utilitate: sed ex mera bonitate. Nos vero homines vix quicquam boni agimus, nisi aut necessitate coacti, aut utilitate perspecta; quia si absint, languet nostra actio. Ideo Deus Opt. Max. hanc ingenii humani labem perspiciens, & tamen omnes homines salvos fieri cupiens, 1. Tim. 2, 4. amplissima praemia, quibus pietatem remunerare velit, in verbo suo proponit. Hinc David Ps. 19, 12. Judicia Domini vera, in custodiendis illis retributio multa. Esa. 45, 19. Non dixi semini Jacob, frustra querite me. Et Paulus 1. Cor. 15, v. ult. Stabiles & immobiles es tote: abundantes in omni opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. Idem 1. Tim. 4, 8. Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitam, quae nunc est, & futura. Neque enim Deus remunerationem semper rejicit in alteram vitam, quia est ille Dominus, cuius merces est cum eo. Esa. 40, v. 10. licet eam fere differat, quam moram humanum ingenium quoque ægre fert. Idem hic Petro accedit, ideo Christus dicit: Nos Apostoli, relicts omnibus ad tuam vocacionem te secuti sumus, spe illa bona freti, nos remunerationem amplissimam consecutoros, quæ jacturant illam omnem resarciat. Nunc, quoniam audimus, divitum adeo periculosam esse conditionem, scire equidem velim, quid nobis amplius sit sperandum?

Concurrunt hic aliquot gravia via in Apostolis, quæ in tantis sanctis (quales jam tum esse volebant) sunt intolerabilia. 1. valde ambitiose jactant, quid propter Christum fecerint: nos reliquias omnia, & secuti sumus te. Quæso autem, mi Petre, dicas nobis, quæ & quanta reliqueris propter Christum cum tuis sociis, casas pescatorias, vel turgiolas potius, scaphas aliquot, retia, hamos, remos, contos, & alia quædam paupertatis instrumenta, quibus per durum manuum laborem duriter & parce victitastis. Adhuc, qualiter & quatenus hæc omnia reliquistis? Eatenus, ut domi tamen eadem omnia retineatis. Usum reliquistis, sed possessionem retinuitis. Nam post Christi

Harm. Tom. I.

resurrectionem, Joh. 21, v. 3. ad eorundem usum rediistis: Non ergo de tam magna desertione adeo magnifice gloriari debuistis. Considerate potius, quid vobis ex Christi comitatu accesserit. Sine labore, sine molestia victum & necessaria omnia habuistis, ut Luc. 22, v. 36. ipsi fateri cogimini, nihil unquam vobis defuisse, dum Christum secuti estis. 2. Magna hic elucet ingratitudo, quod beneficia Christi, quæ opes & divitias mundi longe superant, non dignæ aestimarunt. Christus enim sua doctrina conscientias ipsorum liberas reddidit a servitute traditionum Pharisæcarum, eosque adduxit ad libertatem filiorum Dei. Jam ergo plus receperunt, quam reliquerant. 3. Adhuc tertium vitium, quod de praemio querunt, antequam ad metam pervenerunt: imo cum adhuc incertiescent, an unquam ad metam perventuri essent. Vere priorum est, non de praemio; sed de suo officio sollicitos esse. De praemio certi esse possunt, quo Deus justissimus nunquam ipsis privabit. De officio autem suo solliciti sint, consideratione sua infirmitatis & corruptionis naturalis, ne illud negligant atque sic praemio sperato excidant. 4. Quartum vitium simul produnt, quod adhuc animi ipsorum titillantur spe regni terreni, unde etiam spiritus superbia ipsis crescunt, ut Christo magistro suo talia proponere ausint. Ex his quisque etiam sui ingenii vitiositatem agnoscat, ne sibi quicquam de perfectione sua imaginetur. Videmus enim quam facile etiam sanctissimis tales cogitationes quasi furtim surrepere possint, quibus se coram Deo plane contaminatos esse ostendunt. Apostoli ante triennium a Christo electi fuerunt, ut essent sal terra, & lux mundi: perseveraverunt etiam apud Christum multis aliis deficientibus: & tamen hic adeo turpiter se dant. Quapropter, qui existimat se stare, videat ne cadat. 1. Cor. 10, v. 12.

II. Christus, licet Apostoli acrem correptionem meriti essent, amice tamen & blande eis responderet, & turbatos animos amplissimis promissionibus erigit. Calamum enim quassatum non conterit, & linum fumigans non extinguit. Esa. 42, v. 3. Et est fidelis ille Pontifex, qui infirmitates nostras non tantum agnoscit, iisque compatitur; sed etiam ipsis medetur. Hebr. 4, v. 15. Bene itaque & nos speremus, qui nostras interdum infirmitates sentimus & deploramus. Promissiones autem proponit duas. Unam, pro Apostolis peculiarē & singularem. 2. Alteram, quæ ipsis cum omnibus piis & credentibus est communis. Quibus subiecti suam admonitionem, ne, qui bene coeperunt, efferantur, sed ad finem usque in labore & humilitate perseverare studeant.

De Apostolis in specie dicit, gravi cum affeeratione: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum federit Filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. 1. De bonorum desertione nihil repetit. Neque enim operæ

Zzzzz 2

præmium

1372
 pretium erat, de tam tenuibus rebus multum verborum facere, & ipsi jam semel atque iterum ex Magistro audierant: si quis non renuerit omnibus, quæ possideat, eum non posse esse ipsius discipulum. 2. Sed dicit: *Vos, qui secuti estis me.* Bonorum desertio parum facit ad regnum Dei nisi accedat sequela Christi. Est autem hæc duplex: una corporalis, qua Apostoli tanquam individui comites Christum secuti sunt, altera Spiritualis, qua ipsum secuti sunt, addiscentes ipsius doctrinam, ex qua non tantum vitam æternam, & mores ad ipsius imitationem instituerunt; sed etiam viam, qua Christum ad vitam æternam sequentur, ingressi sunt. 3. Addit, in regeneratione. Hæc verba D. Hilarius, & alii quidam referunt ad præcedens verbum, *secuti estis*, ut Christus loquatur de primo suo adventu, quo opus redēctionis humani generis inchoavit, & per baptis̄mum ex deperditis Adami filiis, cum ipsis, tum alios in Dei filios regeneravit, ut olim æterna & cœlesti vita frueant. Alii vero referunt ad sequens verbum *sedebitis*; ut loquatur de secundo suo adventu, ubi in novissimo die, qui à Petro Act. 3. v. 21. dicitur dies restitutioñis omnium, & mortui resurgent omnes, & superstites in momento immutabuntur. Is dies hic vocatur à Christo *regeneratio*, eo quod in resurrectione regeneratio nostra, qua in baptismō inchoata, & ubi anima ab omnibus sordibus peccatorum abluta est, plene perficietur, ita ut etiam corpora nostra incorruptibilitatem & immortalitatem induant, atque conformia fiant glorioſo corpori Christi. Phil. 3. nlt. Potest autem uterque sensus commode conjungi, quia Christus dicere vult: non vos pœnitentia jacturæ, quam passi videmini, eo quod me veræ *regenerationis* autorem & doctorem, relictis aliquibus vestris reculis, præaliis secuti estis. Non deerit vobis vestrum præmium, quod in magno illo *regenerationis* & restitutioñis omnium die univerlo mundo patefaciam. Nam 4. quando Ego, qui nunc nihil, quam *Filius hominis*, imo omnium hominum abjectissimus videor, in nubibus cœli cum sanctis meis angelis venero, & sedero in *sede majestatis mea* judicaturus vivos & mortuos: tunc etiam vos *sedebitis*, judicantes *duodecim tribus Israel*. Hic cogitate, quæ illa majestas, quæ gloria futura sit. Seden quidem *Filius hominis* jam in *sede majestatis sue* ad dexteram cœlestis sui Patris: sed coram nobis hominibus ea jam est occulta. In novissimo autem die, quando cum gloria & majestate magna se judicem exhibebit, tunc omni carni apparebit, quanta illa sit majestas. Non quod corporali sessione sic sessurus sit: sed per tropum & humano more describit manifestationem illam gloria sue ut res ipsa eo illustrior fiat, & melius intelligatur. Etenim monarchæ res magnas peracturi, in sublimi throno considerare, & alessores vel principes cognatos, vel proceres regni, aut fideliſſimos consiliarios habere solent: ubi certe Assessorum omnium gloria magna est, quæ ipsis accedit ex majestate suiregis. Sic testatur Christus, se in illo majestatis sua actu ejusdem secum gloria socios habere velle Apostolos, qui in his terris fidei regni ipsius fuerint administrati. Idem, quod hic Christus pollicetur Apostolis, ad ipsis repetit. Luc. 22. v. 29. De hac autem sessione *Filiū hominis* in

fede sua majestatis scribit Daniel cap. 7. vers. 13, quod ea ipsi monstrata fuerit in visione.

Ceterum hic queritur, quomodo Apostoli sint judicaturi duodecim tribus *Israel*, cum Johān. 5. v. 22. Christus expresse dicat, Patrem Filio dedisse omne judicium? Putant aliqui, id futurum ab ipsis comprobatione sententia Christi, aut Apostolorum cum aliis comparatione. Sed Christi promissio amplius quid polliceri, ipsius autoritatem & potestatem aliquam in ipso iudicio tribuere videtur. Ideo dicere possumus, Apostolos judicaturos. 1. quoad doctrinam & prædicationem Evangelii, quia secundum illam in novissimo die sententia pronunciabitur, quæ in cœlos recipiet omnes credentes, & vicissim condemnabit omnes, qui Evangelio non crediderunt. Sic Paulus scribit, Rom. 2. v. 15. in die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum. 2. Judicaturi etiam sunt suo testimonio, quo conspicu suō ita conuent Judæos, ut non possint in iudicio illo prætendere, quod doctrinam illam ignorarint. Nam propria ipsorum conscientia ipsis convinet, & in memoriam revocabit, quid Apostoli inter ipsis ipsorum salutis gratia & dixerint, & fecerint: sed ipsi omnia pertinaciter respuerint. Ideo etiam Christus dicit Matth. 24. v. 14. Evangelium prædicandum esse in universo orbe, in testimonium omnibus. 3. Judicaturi etiam sunt suo exemplo. Nam si Judæi prætendere velint, doctrinam Evangelii nimium ipsis fuisse sublimem & abstrusam, quam juxta legis doctrinam neque percipere, neque recipere potuerint, Apostoli exempli loco ipsis ante oculos statui possunt, qui, cum rudes & illiterati essent; tamen Evangelii doctrinam intellexerunt, per eam renati, & filii Dei facti sunt. Hæc certe judicabilis erit Apostolorum dignitas, illi, qui in hoc mundo omnibus, potissimum autem Judæis, contentum fuerunt, judicaturi sunt sua doctrina, suo testimonio, suo exemplo *duodecim tribus Israel*. Etsi enim omnes stabunt ante tribunal Christi, Rom. 14. 10. & manifestabimur, ut unusquisq; reportet propria corporis. 2. Cor. 5. 10. tamen hic *duodecim tribus Israel* nominantur, vel, quia Apostoli secundum numerum illarum tribuum electi, & primum ad eas missi sunt: vel, quia Christus mortuus est, ut filii Dei dispersi, per prædicationem Evangelii congregarentur. Joh. 10. v. 52. Atq; sic totus *Israel* Dei Gal. 6. 16. salvaretur. Unde etiam totum regnum Messiae in Scriptura peculiariter regnum *Israe*lis dictum est.

2. Postquam Dominus Apostolis suis aperuit, quæ propria ipsorum futura sint bona, eo quod relictis omnibus se secuti sint: jam etiam secundo loco indicat, quæ bona reliquos Christianos & fidèles maneat, qui & ipsi Christum sequuntur, & sacerdotiū non omnia, quædam tamen propter ipsum relinqueret coguntur. Hisce dat generalem hanc promissionem: *& omnis, qui reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet in hoc tempore, (ut habent Marcus & Lucas) & in futuro seculo vitam æternam.* Sunt hæc verba aliquanto diligentius expendenda. 1. De quibus loquitur hæc promissio? Non simpliciter de omnibus, qui parentes, liberos & agros

& agros relinquunt. Potest enim quis hoc facere ex impietate, alii per intemperantiam, alii ex ini-
ni superstitione: quæ omnia Christo non proban-
tur, ac proinde tales loco præmii pœnam con-
falentur. Sed Christus diserte exprimit, quos sic
remunerare velit: eos nimurum, qui sua deserunt,
ut Matthæus dicit, propter nomen meum: aut, ut
Marcus, *mea causa aut Evangelii*, aut, ut Lucas ha-
bet propter regnum Dei. Senus apud omnes tres eo-
dem recidit. Christus enim est, qui Evangelium
ex sinu Patris protulit, & per illud regnum Dei in-
staurat: unde hæc tria, Christus, Evangelium, re-
gnum Dei, ab invicem divelli non possunt. Pertin-
et itaque hæc Christi promissio ad eos, qui vera
fide ex Evangelio hausta, Christo sic adhærent, &
in eo atque per eum in regno Dei salvari cupiunt,
ut nihil in mundo adeo charum habeant, quod ipi-
præferant, ita ut si opus sit, omnia illa libertus, &
absque tergiversatione abjiciant, modo à Christo
non separantur. Exemplum hujus habemus in
Abrahamo, patre omnium credentium. Is, ut di-
em Christi videre posset, ad vocationem Dei non
tantum deseruit patriam, parentes, cognatos, &
exul factus est: sed etiam unicum & dilectissimum
filium Isaacum ad mandatum Domini immolare
paratus fuit. Hunc imitemur, si *νικησαι* ipius filii es-
se velimus. 2. Quid relinquere oporteat Christianum? Enumerat Christus, *domos, fratres, patrem,*
marrem, uxorem, filios, agros: quæ omnia & charis-
simæ sunt, & summe necessaria, & sine ipsis nemo
commodè, nemo honeste vitam transigere pot-
est. Cogitat ergo omnis humana ratio, quis ea si-
ne molestia relinquere potest, nisi fere sensum
communem exuerit? Parentibus certe, conjugi-
bus, liberis, fratribus & sororibus Natura & Deus
ipse ita nos obstrinxit, ut impie agat, qui eos te-
mere deserat, aut necessaria neget. 1. Tim. 5. v. 8.
qui suorum, maxime domesticorum, curam non
habet, fidem negavit & est infidelis deterior. Ha-
bent ergo Christi verba hunc sensum: ut parenti-
bus, uxori, liberis, cognatis præstems quidem
debita pietatis & humanitatis officia, prout Dei ver-
bum ipsis id præscribit: quando vero ipsis nos à
Christo aveare, in devia errorum & corruptela-
rum abducere conantur, satius est ipsis deferere,
& *uni* Christo adhærente, quam propter ipsos xer-
nam salutem perdere. Sic domus, pædia, & aliae
facultates honeste partæ, quamdiu una cum Christo
salva fide retineri possunt, non debent temere
relinqui: sed quando persecutores nos cogere vo-
lunt, ut vel Evangelii puritatem abnegemus, vel
expectemus, ut omnibus bonis exuamur, tum bo-
na illa omnia prompte sunt relinquenda, & jactu-
ra illa pro lucro reputanda. Non ergo est generale
mandatum, ab omnibus indifferenter observan-
dum: sed tantum Christus docet, quid singuli, si
necessitas urgeat, facere debeant. 3. Quid vero
præmii habituri sunt, qui sic propter Christum
charissima relinquunt? Christus duplicita recenset:
1. *Centuplum*, ut habet Matthæus, aut, ut habet Lu-
cas, qui numerum illum finitum exponere voluit,
~~τολλατας τοια~~ *multo plura in hoc seculo.* 2. *in seculo*
venturo vitam eternam. De compensatione vita
eternæ in venturo seculo, nullus plus dubitabit.
Sunt enim verba Christi, qui est Deus veritatis:
unde ipse de se dixit Luc. 21. v. 33. *cœlum & ter-*

ra transibunt, sed verba mea non transibunt. De centupla autem remuneratione in hac vita dubitare quis posset; cum experientia multoties refragari videatur. Quot enim pios Evangelicos nostra ætas vidit, qui à Pontificiis Evangelii causa omnibus suis facultatibus exuti, residuum vitæ in egestate transfigere coacti sunt. Quanquam, Deus sit laus, contrarium etiam & plenam hujus promissionis Christi impletionem viderimus. Scendum ergo modum retributionis non esse unum. In quibusdam impletam Christus etiam $\times^{\text{C}} \text{ ro} \text{ in} \text{ ro}$. Quid defuit Abrahamo, postquam paternam domum, & omnem suam cognitionem ad vocationem Dei reliquit? Dives fuit, benedictionem Dei in omnibus sensit: etiam reges in ejus confectionem venerunt. Sic Apostolis postquam Evangelii causa egressi essent in universum terrarum orbem, & domi reliquissent omnia, omnium fidelium domus erant apertæ, ut loco unius aediculae centum haberent domus: omnesque fideliū agri Apostolis quoque suum fructum & necessaria ferebant, ut recte Paulus scriperit 2. Cor. 6. v. 10. Apostolis esse tanquam nihil habentes, & tamen omnia possidentes. Sicubi unum patrem, unam matrem, pauculos fratres & sorores reliquerunt, alibi centum fideles invenerunt, qui paterno, materno & fraterno animo eos prosecuti sunt. Aliorum exempla plura adduci possent. Jobo omnia sua bona restituta sunt duplicitia. Valentianus ob Evangelii Christi professionem amissit militis dignitatem; sed postea accepit Imperatoriam maiestatem. Addit autem hic Christus recipient $\mu \nu \delta \omega \mu \alpha$ cum persecutionibus. Quidam legunt in persecutionibus, ut quasi miraculi instar sit, quod Christiani, beneficio Christi, etiam vigenibus & ferventibus persecutionibus tyrannorum, tamen passim invenerint pios patronos, qui ipsos tanquam parentes, fratres & conjunctissimi complexuri, ipsisque benefacturi sint. Sed in omnibus legitur cum persecutionibus, ut innuat Christus, ipsos etiam in optimo rerum suarum statu a persecutionibus & adversitatibus non fore innunes. Quapropter non sibi imaginentur aureum seculum in hoc mundo, sicut fecerunt Millenarii ex loco Apocal. 20. v. 3. neque enim inimicitia Genet. 3. v. 15. finem sortientur ante consummationem hujus seculi. Et hic est unus modus implenda illius retributionis. Alter modus est, quando Deus animum pii hominis tali $\alpha \nu \tau \rho \pi \epsilon \alpha$ donat, ut sit iis, quæ habet, contentus, juxta Pauli dictum 1. Tim. 6. v. 6. ut quis sibi videatur dirissimus, licet in orbe nihil possidat, cum animus non afficiatur rebus humanis, nec in mundo querat manentem civitatem; sed omni studio cœlos affectet. Sic ergo vera manet Christi promissio.

III. Sub finem, quia Christo Petri & reliquo
rum confidentia non fuit ignota, & verendum
erat, ne ob magnificam hanc promissionem sepe
aliis præferrent, hunc locum gravi sententia con-
cludit, qua ipsis, & in primis Petrum sub mode-
stia & metu continere cupit. *Multi autem primi*
erunt novissimi, & novissimi primi. q. d. Bene sane cœ-
pistis, & aliquo usque profecistis, multos etiam
alios antevertistis, atque magna & insignia præmia
habebitis, si constanter ita perrexeritis: sed metu
nondum attigistis, multo minus præmium jam

Zzzzz 3

consecuti

consecuti estis. Nolite ergo altum sapere, nolite arroganter de vobisipfisentire. Quod enim iis interdum accidere solet, qui in stadio currunt. Cor. 9.v.24. ut unus & alter reliquis ex intervallo præcurrant: sed postea vel ex spiritus interclusione, vel ex improviso lapſu, aut virium defatigatione impediantur, ut ex primis fiant ultimi, neq; brabeum accipient: sic idem est Ecclesiæ in hac vita status, ut multi, qui in confitendo fuerunt primi, relabuntur inter postremos, & qui fuerunt ultimi, inter primos tandem inveniantur. Quapropter estote modesti, ne idem vobis accidat. Jude hoc accidit, qui ex primo ordine inter novissimos relapsus est. Paulus novissimus Apostolorum, & quasi *ἐπιχωμα* fuit, plus tamen per Dei gratiam laboravit, quam reliqui omnes 1.Cor.15.v.10. Sic Judæi, qui

primi vocati sunt ad regnum Messia, mox sperto & rejecto Evangelio Christi, primatum gentibus concessere. Prima gentes & ipsæ jam defecere. Asia olim fuit religiosissima: Africana plena pietatis, fidei & zeli: jam subjacent jugo, & impie trati Turcicæ. Europa ultima accessit, viderit, ut in statu suo maneat. Idem de urbibus dici potest. Magna fuit olim Romæ dignitas, cuius fides prædicta fuit in universo mundo. Rom. 1. v.8. Quid nunc est? Sedes Antichristi, & Circæ stabulum. Ubi est Corinthus? ubi Thessalonica? Nohis in Saxonia, quibus lux Evangelii his postremis temporibus primo illuxit, hoc nobis quoque dictum statuamus, ut caveamus, ne ex primis fiamus novissimi. Hoc vero Epiphonema Christus in sequenti parabola plenus exponit.

Parabolæ de operariis in vineam conductis.

MATTH. 20.

1. Ομοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν θρανῶν αὐτοῖς ποιοδεσπότη, οἷς εἶναι αἷμα τριών μισθωσαθεὶς ἐργάταις εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτῷ.
2. Συμφωνήσας δὲ μετὰ τῶν ἐργάτων ἐκ δημαρχοῦ τὴν ἡμέραν, ἀπεσελεύσατος εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτῷ.
3. Καὶ ἔξελθων περὶ τὴν τρίτην ὥραν, ἑδεν ἀλλος ἐσώτας ἐν τῇ αγορᾷ ἀργύρῳ.
4. Καὶ ἐπειδὴς ἔπειν, ὑπάγετε καὶ υἱοῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα, καὶ οὐαὶ ἡ δίκαιον, δῶσων υἱοῖν.
5. Οἱ δὲ ἀπελθόντες πάλιν δὲ ἔξελθων περὶ ἕκτην καὶ ἐννέατην ὥραν, ἐποίουσεν ὁσατούσι.
6. Περὶ δὲ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν ἔξελθων, ἔνεργον ἀλλος ἐσώτας ἀργύρον, καὶ λέγει αὐτοῖς, τι ἀδει ἐσῆκατεν ὅλην τὴν ἡμέραν ἀργύροι;
7. Δέγγοτεν αὐτοὶ ὅτι εδεις ἡμᾶς ἐμιθώσατο. λέγει αὐτοῖς, υπάγετε καὶ υἱοῖς εἰς τὸν ἀμπελῶνα, καὶ οὐ εἴσαι ἡ δίκαιον, λέγει.
8. Οὐφίας δὲ γενομένης λέγει ὁ κύριος τῷ ἀμπελῶνῳ τῶν ἐπιτρόπων αὐτῷ, καλέσον τοὺς ἐργάτας, καὶ απόδοθε αὐτοῖς τὸν μισθὸν, ἀρξάμενος απὸ τῶν ἐσχάτων εἰς τῶν περιστῶν.
9. Καὶ ἔλθοντες οἱ περὶ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν, ἔλαβον ἀνὰ διηνάριον.
10. Ἐλθόντες δὲ οἱ πρῶτοι, ἐνόρκισαν, ὅτι πλείονα λήφονται, καὶ ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνὰ διηνάριον.
11. Λαζάρον δὲ ἐγάγγυον κατὰ τὴν αἰγαλεοτάστην.
12. Δέγγοτεν, ὅτι οἱ τοιούτοις μίαν ὥραν ἐποίησαν, καὶ οὐαὶ ἡμῖν αὐτοῖς ἐποίησαρ, τοῖς βασιλεῖς τῷ Καππαδοκεῖον κακούναν.
13. Οἱ δὲ ἀποκριθεῖσι, ἐπενεὶν αὐτῶν, ἐταρε, ἐκ ἀδιηδοσεως, ἀχρήματος συνεθώντος μοι.
14. Ἀρον τὸ σῶν, καὶ ὑπαγε. Θέλω δὲ τέτοι τῷ ἐσχάτῳ δόσην αὐτῷ.
15. Ἡ εἰς τοιούτοις ποιῆσα, δέδελων εἰν τοῖς ἐμοῖς, εἰ οὐ φαλλούσι τοιούτοις εἶναι.
16. Οὐτοις ἐσονται οἱ ἐσχάτοι πρῶτοι, καὶ οἱ πρῶτοι ἐσχάτοι. πολλοὶ γάρ εἰσιν πλεῖοι, ὄλιγοι δὲ ἐκλεκτοί.

1. Simile enim est regnum eorum homini patrifamilias, qui exiit primo statim diluculo ad conducendos operarios in vineam suam.
2. Conventione autem facta cum operariis, in singulos dies denario, misit eos in vineam suam.
3. Et egressus circiter horum tertiam, videt alios stantes in foro otiosos.
4. Et illis dixit: Ite & vos in vineam, & quodcumque iustum fuerit, dabo vobis.
5. Illi autem abiuerunt. Rursum autem exiit circiter sextam & nonam horam, & fecit similius.
6. Circa undecimam vero exiit, & inveniens alios stantes otiosos, ac dicit illis: Cur hic statis totam diem otiosi?
7. Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dixit illis: Abite & vos in vineam, & quicquid fuerit iustum, accipietis.
8. Cum autem vespera facta esset, dicit dominus vineam procuratori suo: Voca operarios & reddite illis mercedem, incipiens a postremis usq; ad primos.
9. Et cum venissent, qui circa undecimam horam venerant, accepérunt singuli denarium.
10. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quod plus esent accepturi, & accepérunt ipsi quoq; singulis denariis.
11. Et cum accepissent, murmurabant adversus patrem familias.
12. Dicentes: Hi novissimi unam horum fuerunt in opere, & illos pares nobis fecisti, qui portavimus pondus dicie, & astum.
13. At ille respondens uni eorum dixit: Amice, non facio tibi injuriam, nonne denario pauperrimus es mecum?
14. Tolle quod tuum es, & abi. Volo autem huic novissimo dare sicut & tibi.
15. An non licet mibi, quod volo facere in rebus meis? An oculus tuus malus es, quod ego bonus sum?
16. Sic novissimi erunt primi, & primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Exlege-

Exegetis hujus Parabola.

EX hac parabola desumunt Ecclesiastici doctores multas graves & utiles doctrinas, utpote de Ecclesia, de lapsu & reparatione humani generis, de Justificatione, de Electione, de Fide, de bonis operibus, de novissimo iudicio, de vita aeterna, de rejectione reproborum. Nec negari potest semina horum articulorum fidei Christianae in exacta esse, ac proinde concessionatores pro qualitate sui auditorii diversas doctrinas eligere posse: nos tamen pro ratione nostri instituti primo scopum hujus parabolæ tractabimus, deinde monstrabimus, quomodo præcipua ejus membra ad doctrinas applicare debeamus. Nam, ut de singulis & minutissimis agamus, opus non est, etiam D. Chrysostomo teste, qui ita scribit: In parabolis non oportet ex nimia in singulis cura perangari. Sed cum, quid parabola intendat, didicerimus, inde utilitate collecta, nihil ulterius anxio conatu est investigandum.

I. De scapo parabolæ. Christus fere in suis concessionibus non habuit doctos, argutos & ingeniosos auditores: sed simplices discipulos & idiotas. Idcirco hunc ut plurimum morem observavit. Si quando tractavit utilem, necessarium & eximium fidei articulum, quem voluit discipulis & auditoribus esse commendatum, ne facilè ejus obliviscerentur, sed semper in memoria & in oculis portarent, tunc parabolæ eum inclusit. Nam omnes parabolis delectamur, & quando tales res in vita communis nobis occurrunt, tunc etiam doctrinæ recordamur. Item, quando articulus quispiam fuit difficilis, quo ratio perturbatur, nec Apostoli eum comprehendere poterunt, tum etiam talem parabolæ inclusit. Cum autem parabolæ sumantur ex rebus vulgaribus, quæ omnibus sunt nota, & quotidie oculos versantur, eo etiam facilius doctrinæ juxta illam simplicitatem accommodata, intelliguntur. Ita huic parabola inclusit Articulum *in regno cœlorum*, hoc est, non agit de externa politia, quasi illam reformare vellet; sed de suo proprio regno, quo partim in terris regnat per fidem, partim in cœlis per gloriam: si ve, de Ecclesia partim in terris militante, partim in cœlis triumphantem. Quia vero valde multa ad hoc regnum cœlorum pertinent, attendendum, de quamnam particula doctrinæ in illo regno agat. Neque enim licet, ut quisque pro suo lubitum hoc vel illud tractari prætendat: sed quia Prophæta Scriptura non est *διάς οὐτανούσεως* & propriæ explicationis, 2. Pet. 1. v. 20. ideo observandum, quo Christus in parabolis intendat, ut ejus ductum sequamur. Nam ut nos de præcipua doctrina certi esse possumus, ferè in omnibus parabolis, vel in principio, vel in fine sententiam aliquam annectere solitus est, ex qua præcipuum parabolæ scopum colligere licet. In hac vero parabola & præmisit certam sententiam, & eadem illam conclusit, dum dixit: *Multipimi erunt novissimi, & novissimi erunt primi*, concludit autem his verbis: *sic novissimi erunt primi, & primi novissimi*. Ergo vult monere, ut, qui in Ecclesia tam ratione donorum, quam operarum inter primos habentur, mode-

stia studeant, ne si insolecant propter dona, aut operibus suis confidant, inter novissimos rejiciantur. Dicat quis: Num hæc doctrina est adeo difficilis, ut opus fuerit eam parabolæ includere? Utique. Intuere exemplum Petri. Is Matth. 16. v. 16. certè inter primos fuit, cum suo & collegarum nomine adeo splendidam ederet confessionem, ut Christus ipse testaretur, Patrem suum in cœlis eam ipsi revelasse. Mox v. 23. cum Christum à passione sua dehortari inciperet, inter novissimos prolabitur, ut Christus ipsum Satanam vocaret, & nisi destitisset, penitus ex regno DEI exturbatus fuisset. Sic videmus quam latenter hoc malum alicujus animo irrepere possit, ut ex improviso & inscius fere ex primo novissimus fieri queat.

Idem malum etiam hic fere Petri & sociorum animum occupasset. Postquam enim Christo adfuerit adolescens dives, qui de bona sua vita, quæ nullis vitiis sive flagitiis contaminata esset, gloriatus fuerat, Christus autem singulari vocatione ipsi mandasset, ut dividendis facultatibus omnibus, & inter pauperes distributis, se sequeretur. Hic vero, eo quod valde dives esset, nollet, atque tristis abiret, & Christus diceret, eum nihil plus intraturum in regnum Dei, quam camelus pertransire possit foramen acus: quia scilicet vocationi nolit obedire. Ibi Petri animum rursus tillat hæc cogitatio. Hic juvenis merito rejicitur ex regno cœlorum, quia Christum vocantem non vult sequi. Nos vero relictis omnibus Christum sumus secuti juxta ejus vocationem. Ergo sumus meliores & digniores, meriti ut in regnum cœlorum intromittamur. Hic respondet ei Christus: *Estis quidem in regno cœlorum*; sed oportet te etiam probè attendere, ut rectè in eo te geras, ne ob superbia & animi elationem rursus ejiciaris. Nam *primi possunt fieri novissimi*, hoc est, qui multa fecerunt & passi sunt propter regnum Dei, possunt favorem & gratiam Dei perdere, ut non accipiāt *βαζεῖον* in hoc studio, 1. Cor. 9. v. 24. si nimis fidant suis operibus, si de obedientia sua nimium glorientur. Ita videamus ipsum Petrum hunc articulum non rectè intellexisse, atque ea propter non supervacaneum fuisse, quod Christus eum parabolæ inclusit. Hoc est fundamentum, & hic est scopus parabolæ, in eo acquiescendum, si maxime singula membra non adeo feliciter accommodare possumus.

Propius tamen summam parabolæ nobis etiam applicemus. Omnes sumus aut instar juvenis, aut instar Petri. Ratio enim humana non potest, aut non vult hæc duo inter se conciliare: unum quod salus gratis nobis contingat, sine operibus: alterum, quod nihilominus sit bene operandum, ut vocatio & electio nostra firma fiat, 2. Pet. 1. v. 10. adeo ut qui non operetur, sed repugnet, sit rejiciendus. Sumus enim debitores: & hæc est voluntas Dei, nostra sanctificatio, ac præceptum ipsius, ut nos mutuo diligamus. Et tamen, quando hæc omnia fecimus, nullum adest meritum, sed manet sola gratia. Hæc duo, in-

quam, non possumus concordare. Et hinc omnibus temporibus sequitæ sunt corruptæ in religione, Rom. 3. v. 8. cum quidam audirent, Deum gratis peccata remittere, & homines salvare, mox aliqui exclamarunt: Ergo faciamus mala, ut eveniant bona, Hanc cantilenam nostri Epicurei etiam cantare possunt. Operari e contrario cogitant: quia est Dei voluntas, ut bene operemur, habemus ejus mandatum, promissiones, minas, & nos fecimus. Ergo deberunt nobis merces. Nec mirum, mundum ita turbari. Nam etiam Petrus, qui auditavit Baptistam, & ita ultra tres annos Christo conversatus erat, tantumq; profecerat, ut Matth. 16. 16. insignem ederet confessionem, tamen turbatur. Nam ita secum ratiocinatur: Juvenis non vult deferere suas possessiones, & excluditur propterea ex regno cœlorum. Nos omnia reliquimus: Ergo meriti sumus regnum cœlorum. Hic respondebit Christus, cave sis, ne exprimofias novissimus. Et quia metuit, ne vel non intelligat dictum, vel citato obliviscatur, addit parabolam, qua in simplicitate vult docere. 1. Quod paterfamilias gratis vocet & conducat. 2. Jam qui repugnant, vineam non ingrediuntur, tota die stant otiosi, hi sub vesperam nihil accipiunt. 3. Qui laborant ad præscriptum patrifamilias, hi mercedem accipiunt. 4. Et tamen non accipiunt ob laborem operis: quin, qui merita prætendunt, rejiciuntur. Sic ergo Christus hic idem docet, quod Paul. Gal. 2. 15. Nos natura Judæi & non ex gentibus peccatores, in Christum Jesum credimus, ut justificemur ex fide in Christum & non ex operibus legis. Item Tit. 3. v. 5. Non ex operibus iustitiae, quæ fecimus nos; secundum suam misericordiam nos salvos fecit. Ita ergo uterque articulus est muniendus & conservandus, cum gratuita iustitia, tum bona opera.

II. His ita præmissis, jam reliquæ doctrinæ tanto facilius & expeditius sequuntur. Inter quas hic prima sit, quod Christus non tantum hic, sed Deus etiam alibi Ecclesiam suam *vineæ* assimilat, ut Deut. 32. v. 32. Psal. 80. v. 9. Esa. 5. v. 1. & cap. 27. v. 2. Matth. 21. v. 33. & Joh. 15. v. 1. Et prodest diligenter considerare, quid commonefactionis omnibus & singulis præbeat, quod Ecclesia *vineæ*, singuli Christiani vitibus, verbi ministri, magistratus & patresfamilias operariis conferuntur. Summa fere in his consistit.

1. In initio Deus creavit vites, tanquam genitissimum & præstantissimum germen, quo cor hominis exhalaretur, verum, sicut per peccatum omnes reliquæ creaturae subjacent corruptioni, Rom. 8. vers. 20. ita etiam vites sunt corruptæ, ut ante diluvium tantum fuerint sylvestris vites. Post diluvium Noachus Gen. 9. v. 20. primus fuit, qui adinvenit artem insitionis & transplantationis, ut agrestes vites mitescerent, & dulces uvas ferrent. Sic Deus etiam hominem initio bonum creavit, ad imaginem suam in iustitia & sanctitate. Sed quantopere per peccatum corrupti sumus, id indicat Deut. 32. v. 32. De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrahæ: uva eorum, uva fellis, & botrus amarissimus. Fel Draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Et Jer. 2. v. 21. Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum, quomodo ergo conversa es mihi in pravum vineæ alienæ? Sed

Deus, cœlestis Noachus, etiam novit artem transplantandi. Est enim & ipse agricola Joh. 15. v. 1. & habet generosissimam vitæ Christum. Dicerit ergo nos ex naturali oleastro. Rom. 11. v. 14 & nos inferit nobili huic viti, ut ex ea succum & spiritum hauriamus, atque ex carnalibus spirituales efficiamur. Ethæc ratio transplantandi, qua Deus utitur, prorsus est diversa à vulgari ratione plantandi hominum. Nos enim bonum surculum ex hortensi arbore decerpimus, eumque sylvestri stipiti inferimus, ut inde succum attrahat & sui generis fructum proferat: Deus invertit & nos sylvestres, bonæ suæ viti inserit, ut ejus succo confirmati, etiam bonos fructus feramus.

2. Jam qui habet vites, commodam sibi aream in aprico loco & ferali solo eligit, ubi vineam plantat, & vites in ordines collocat. Sic Deus ipse Esa. 5. v. 2. testatur, se sepi vineam suam ab aliis agris segregasse. Quoad Ecclesiam, Deus habet verbum, quo suam Ecclesiam, tanquam per sepem, segregat à reliquis populis & sectis. Habet legem, qua ceu ligone vertit solum, spinas & tribulos elevat, hoc est, durum hominis cor emollit. Pluviam etiam salutarem segregat Deus huic hereditati suæ Psal. 68. v. 10. nimur sacrosanctum suum Evangeliū, per quod largitur Spiritum suum sanctum, qui fidem in nobis plantat, & facit, ut Deo reconciliemur, ei placeamus, & grati efficiamur. Aedificat etiam turrim in hac sua vinea Esa. 5. v. 2. hoc est, eam tuerit ab hostibus cum spiritualibus, tum corporalibus. Suorum enim curam fidelem agit, ne quid ipsi accident, quod saluti ipsorum noxiū sit. Scimus enim quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum Rom. 8. v. 28.

3. Elocat suam vineam colonis, ut habet Christus Matth. 21. 33. Coloni sunt i. verbi ministri. Hi aream purgare, vites verbo plantare, aridas consolationibus rigare, luxuriantes correptionibus putare, atque sic vineæ proventum juvare debent. 2. Magistratus. Hi Ecclesiam tueruntur, ne prædones violenti, aut raptiores operarios impedian: abigunt apros, vulpeculas & feras, ne vineam valet. 3. Patresfamilias. Hi liberos, tanquam novellos olivarum, & tenellos palmites in Ecclesiam adducunt, ut marcescentibus vitiis vetustioribus, novitiae & juniores substituantur. Per hos singulos monendo instat, ne frustra in vinea simus, sed ut constanter in Christo maneamus. Sine ipso enim nihil possumus facere, Joh. 15. 5.

4. Venit etiam paterfamilias, ut inspiciat fructum & proventum suæ vineæ. Verum quid inventit? Eſ. 5. 2. conqueritur. Expectavi, ut faceret uvas, & ecce fecit labruscas. Sperat Deus se in Ecclesia sua inventurum amorem sui, & amorem proximi: & ecce inventit securitatem, superbiam, similitates, lites. Tum dicit paterfamilias ad procuratorem vineæ suæ, sicut habuimus Luc. 13. 7. de ficio sterili. Ecce tot & tot anni sunt, ex quo venio querere fructum in vite hac, & non inventio. Succide ergo illam, ut quid terram frustra occupat? Sed intercedit vineæ cultor, & offert suam industriam, se circa illam fodere, adhac stercore injicere, & operam dare, an sequenti anno fructum ferre velit. Sic ergo etiam impoenitentibus, & malè viventibus pœnitendi spatiū conceditur.

5. Si

5. Si verò & hæc sunt frustranea , tum Deus ipsius quasi lamentari incipit, Esa. 5. v. 4. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ , & non feci ei? Ad custodiendam eam , sepem confeci: ad irrigandam , pluviam salutarem dedi : ad amputandos infrugiferos stolones, crucem immisi : emendationis tempus insuper concessi. Sed hæc omnia frustra! Quid ergo amplius faciam? Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem ejus , & erit in direptionem : diruam maceriem ejus , & erit in conculationem. Et ponam eam desertam, non putabitur , & non fodietur : & ascendent vepres & spinæ , & nubibus mandabo ne pluant super eam imbre. Eodem ferè etiam modo loquitur in Ps. 80. v. 13. hoc est, Deus vult tales populum , qui Ecclesia titulum inaniter gestat , nec fructus bonos Deo suo fert, graviter punire , eum vastationi subjecere , ut omnes agnoscent & videant , esse Deum , qui coelitus attendat , an etiam homines in terris rectè & piè vivant. De hoc Dei iudicio Christus Matth. 21. v. 41. cum Judæis pluribus ageret. Sed hæc de vinea in præsentis sufficiunt, quæ partim faciunt ad consolationem , ut discamus , quomodo Deus ex amara vite faciat dulcem , partim ad commonefactionem , ut generosæ viti Christo inserti , fructus etiam ferre studeamus.

III. Potest addi etiam hæc doctrina : 1. quod ex hac parabola colligere licet , neminem per se esse in vinea , nec quenquam sponte sua venire ad patremfamilias, & ambire locum in vinea , sive ut sit vitis , sive ut sit operarius. Sed paterfamilias cogitur eos quærere : & dum eos quærat , invenit eos stantes otiosos , id est , sine bono : nec simpliciter stantes ; sed in foro. Antiquitus autem in foro non tantum res veniales habentur , & contractus conficiuntur , in quibus multæ fraudes , impostura & peccata concurrunt : sed etiam in foro judicia exercentur , & malefici puniuntur. Vult Christus hoc innuere , quales natura simus: sine bono , pleni peccatis & judicandi. Neq; nos quærimus Deum , ut ipse nos emendet , & in gratiam recipiat: Sed si velet is nos salvare , ipse quærat nos , & invenitur postea à nobis non quæreribus. Ideo Deus ipse dicit Eſ. 65. v. 1. invenerunt , qui me non quæsiverunt. 1. Joh. 4. v. 10. In hoc est charitas: non quasi nos priores dilexerimus Deum : sed quoniam ipse dilexit nos , & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Exiit ergo bonus hic paterfamilias primo diluculo , hora tritia , hora sexta , hora nona , hora undecima , hoc est , quoad universum mundum , exiit inde ab initio mundi , per omnia tempora & secula : tempore Adami , Abrahami , Mosis , Prophetarum , Christi. Item , quoad singulos , exit mox nativitate nostra ad finem usque vitæ. Numerat autem Christus hoc loco horas , non juxta nostrum , sed juxta Hebraorum horologium. Apud Judæos prima hora fuit , quæ ab exortu Solis prima erat : undecima hora autem fuit , quæ proxime occasum præcessit.

2. Sed & illud attendendum est , quid paterfamilias illis , quos in foro invenit , dixerit : quid statis tota die otiosi ? ostendit his verbis medium per quod otiosos & malos in vineam suam compellere solet. Est hæc concilio Legis. Nam quia eos , quos ad imaginem suam considerat , invenit otiosos , nil

boni agentes , adhæc in foro plenos peccatis , eos graviter arguit. Nam minatur Matth. 25. v. 20. quod inutilis servus sit ejiciendus in tenebras exteriores. Nec tantum ipso arguit , sed addit etiam: ite in vineam. Quam illam? de qua modo egimus , in qua Christus est vitis , & Pater agricola , remittit eos in Ecclesiam , ut in Christum credant , per fidem ipsi inserantur , atque sic serventur à ventura ira. Et hoc ut jam dictum est , facit à summo diluculo , ad vesperam usque.

3. Quomodo vero intelligendum est illud , quod de conventione facta dicitur? Quidam per denarium intelligunt vitam æternam , quam Deus mercedis loco promiserit fideliter in vinea ipsius laborantibus. Sed falsa est hæc interpretatio. Si enim denarius est vita æterna : quomodo hæc datur murmurantibus , quibus paterfamilias succedit , & quos ex vinea abire jubet ? Hoc qvoscad movit , ut de denario in explicatione parabolæ profus silendum censuerint , cum alias singula membra parabolæ applicari non possint , ut quæ vel ornatus causa , vel ut parabola aptius cohæreat , addita fuit. Nos per denarium intelligamus Christum. Hic enim vere est denarius redemitio & solutionis : est siclus Israelis , qui totam civitatem Hierosolymam facit sanctam. Adamo Deus in principio impresserat suam imaginem in sanctitate & veritate : sed turpiter & pro se , & pro posteris amisit , unde etiam tanquam malus colonus & operarius ex paradiſo exturbatus est. Filius autem Dei pro nobis intercessit , & se soluturum promisit , quod non debuit. Coelestis igitur Pater intercessionem suscepit ; sed sub illa conventione & conditione , ut Christum tanquam λύτρον & redemtionis denarium nobiscum habeamus. Hunc qui firma fide apprehendit , illi imago Dei rursus imprimitur : aut , ut Paul. scribit 2. Cor. 3. v. ult. transferamur in eandem imaginem Christi , à claritate in claritatem , tanquam à Domini Spiritu. Ergo quando Paulus scribit Eph. 1. 4. nos in Christo Iesu electos esse , tamen illud non absolute est accipendum , ac si electio tantum esset actus in Deo : sed cogitandum , quod Deus nobiscum paterfamilias sit de Christo. Iccircò nos ipsum firmam fide apprehendere debemus : ut per fidem ipse in nobis habitet , & nos etiam per fidem in ipso inveniamur. Quid verò fit de iis , qui ex vinea exturbantur ? De his parabola non expressè dicit , quod denarium acceperint ; neque dicitur , accipe denarium & vade : sed tolle quod tuum est , & abi. Si tamen eum accipiat , est ipsis Christus denarius judicii , quem suscepserunt , sed eo male usi sunt.

4. Quales verò hi , qui in foro otiosi sunt inventi , & à patrefamilias objurgati , se se gerunt ? Non resonant , sed excusant , quod nemo eos conducterit. Missi autem in vineam , non manent stantes in foro : non alio se conferunt : sed dicto patrifamilias sunt obedientes. Alias enim denarium non accepturi essent. Monet hoc , quid nos deceat , quando à Deo ad salutem vocamur. Hic certè abeundum est , non alio , nisi in vineam , ubi est Christus generorum germen. Nam qui Christo non inseritur , is in novissimo die abjectetur in ignem. Joh. 15. v. 6. Qui autem huic viti implanus est , is in ipso habet omnia : accipit ab ipsa succum & spiritum , ut in ipsa adolescat ad viam æter-

æternam. In abitione autem in vineam non est procastinandum. Nemo dicat, sunt duodecim horæ diei, sufficit si ad undecimam horam me sistam. Sed ut habet Psalmus 95. v. 8. Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ne Deus idem de nobis conqueratur, quod conuestus est de Judæis, Esa. 65. v. 2. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas.

IV. Discendum etiam, quando quis obediens vocationi patrisfamilias venit in vineam, quid ibi agere, & qualem se gerere debeat. Hoc monstrat parabola. Nihil ibi destruendum vel turbandum: non otiosè vel fabulando tempus terendum: non protervè alii glebis terræ petendi, vel in opere impediendi; sed est laborandum. Monet nos hoc, ut quando accepimus remissionem peccatorum fide per Christum, in verbo & Sacramentis, ex quibus omnia habemus gratis, ut caveamus, ne hanc libertatem convertamus in licentiam carnis, & in Ecclesia plus protervire incipiamus, quam antea fecimus extra Ecclesiam. Gal. 5. v. 13. Et Petrus 1. epist. 2. v. 16. quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Hic in vinea oportet fodere, vites putare & purgare, & fundum stercoreatione pingue reddere, ut vites fructum ferant, hoc est: debet quisque veterem suum Adamum mortificare: carnem suam crucifigere, in Spiritu secundum Evangelium ambulare. Nam qui hoc in vinea non facit, ille ex ea exturbatur. Ethoc ita faciendum, licet cogamur portare pondus diei & æstim, hoc est, licet valde durum id carni nostræ accidat, sicuti Paul. de scipso scripsit 1. Cor. 9. v. ult. Castigo corpus meum, & in servitatem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

Et hic doctrina de bonis operibus commode adduci potest, quæ in sequentibus membris postissimum consistit.

1. Qui bona opera facere vult, eum oportet esse in vinea, in familia cœlestis patrisfamilias, hoc est, ut per fidem Christo sit insitus. Deo reconciliatus, & per Spiritum renatus. Nam mala arbor non potest bonos fructus ferre. Matth. 7. v. 18. Et quicquid non ex fide fit, peccatum est. Rom. 14. v. ult. Est ergo prorsus ætoroy & absurdum, quod Pontificii multum disputant de operibus infidelium & non renatorum: an iis aliquid mereri possint, & an iis fidendum sit ad salutem.

2. Qualia opera sunt facienda? Non quod cuivis per se bonum videtur. Nam ἔβελθον καί & voluntarii cultus à Paulo rejiciuntur. Col. 2. v. ult. Et Christus ipse dicit Matth. 15. v. 9. ex Esaia: Frustra me colunt mandatis hominum. Paterfamilias ergo, qui vocat, remittit suos operarios in vineam, ut ibi in ipsius præceptis ambulent, & fructuosi quid laborent ad Ecclesiæ ædificationem: non redeant in forum, hoc est, desinant perverse agere, & discant benefacere, quod non aliunde melius, quam ex præceptis Decalogi discere possunt.

3. Quacunque hora Deus aliquem vocat, obtemperet & sequatur. Sicuti modo etiam ex Psal. 95. v. 8. audivimus. Nescit enim an alia hora hic Dominus redditurus sit. Nec nos disputemus cum

Deo, cur nos matuius, alios verò tardius vocet. Sicut Petrus fecit Joh. 21. v. 20. cum à Christo ad crucem vocaretur, & ipse Johannem videret, cui nihil ejusmodi imponeretur, mox dixit: Domine, hic autem quid? Sed voci divinæ simus obedientes.

4. In labore bonorum operum non simus pigri; sed tanto studio, tanta diligentia & faciendo & patiendo ea perficiamus, ut vere dicere possumus: *onus diei & æstum portavimus*, h. e. admodum durum nobis accedit, ut vocationi nostra satisfaceremus. Nam Jer. 48. v. 10. maledictus dicitur, qui facit opus Domini fraudulenter.

5. Præcipuum est in his omnibus, ut, quando omnia fecerimus, dicamus nos esse servos inutiles. Luc. 17. 10. Nullus dicat: Ego multum laboravi, jam quiescam. Plus enim aliis sum accepturus, vel etiam eo confidentius peccabo. Tales Christum non recte didicerunt. Sed de hoc jam peculiare membrum, illudque summe necessarium habemus.

V. Jam sequitur id, quod propriè ad statum & scopum parabolæ pertinet. Postquam cœlestis paterfamilias nos vocavit, nos vocationi obedimus, forum reliquimus, vineam intramus, in ea laboramus, idque tanto serio, ut pondus diei & æstum toleraverimus, crux patienter sustinuerimus: tum certè sumus in Ecclesia, & in recta via, quæ ducitat salutem. Sed hic Christus monet, diligenter cavendum ne primi fiant novissimi. Quomodo id fit? Hoc ostendit parabola. Quando nimurum ii, qui gratis vocati sunt in vineam, obliscuntur quod id fuerit mera gratia: non amplius se humiliant: confidunt in operibus suis, & prædicant sua merita: loco mercedis suorum operum volunt sibi reperi vitam æternam. Hoc si quis faciat, tum paterfamilias ipsi irascitur. Et, ut ipsis ostendat esse meram gratiam & non meritum, injungit procuratori, ut mercedem soluturum *incipiat à postremis usque ad primos*, q. d. si pro operibus meritum solveretur, tunc incipiendum esset à primis, sed ut sciat is esse meram gratiam, *volo huic novissimo dare, sicut primo*. Hic murmurat ratio, & conqueritur, sibi injuriam fieri, *siquidem pondus dici, & æstum portaverit, & novissimi, qui vix horam laborarint, sibi patres faciat*. Sed quid dicit cœlestis paterfamilias? *An oculus tuus malus es, quod ego bonus sum?* Malum oculum vocat invidum & illiberalēm, q. d. An mea benignitas cruciat tuos oculos, & invidia commoveris ob id, quod ego liberalis & benignus sum erga tuos collaboratores? Atque inde concludit Christus: *Sie (hoc modo, quando operarii suis meritis volunt fidere, & contra bonitatem cœlestis patrisfamilias murmurare) novissimi erunt primi, & primi novissimi.*

Summa summarum est; vult Christus, nos agnoscere, esse meram gratiam, non tantum, quando initio vocamur in vineam, sed etiam manere gratiam, quando in vinea multum laboravimus, ut labore nostro nos nihil meruisse sciamus. Exempla manifesta sunt. Latro qui consumit omnem vitam suam in sceleribus, vocatur demum vesperi, & convertitur sub finem vite, atque accipit adhuc eo die vitam æternam in paradiso. Esaias multum scripsit de hac vinea, & in ea laboravit 80. annos, non tamen superbit, non se aliis præ-

præferendum censet: quin à Judæis tandem hanc mercedem accipit, ut ab ipsis lignea serra dissecatur. Sed quid dico de Elia? Primi patriarchæ alii 600. alii 700. alii 800. quidam 900. annos in hac vinea laborarunt, & tamen nihilo plus vel pe- tiverunt, vel acquisiverunt, quam nos sumus ac- quisituri; sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi illi salvati sunt, sicut & nos. Acto. 15. v. 11. vere nos, in quos fines seculorum inciderunt, non habemus, quod conqueramus: quia respectu il- lorum patriarcharum vix unam horam labora- mus in hac vespera mundi. Hoc verum est quod Deus adhuc hodie aliquos *mane vocat*, hoc est, maturè, & adhuc in flore juventutis cultura vel custodiae suæ vineæ adhibet, & finit *pondus diei atque æstum portare*, hoc est, aliquibus imponit durum & laboriosum statum, ut vix magno labo- re pauca apud suos efficiant: aliis imponit gra- vem crucem, infirmitates & morbos, dispendia rei familiaris, & varia infortunia, ut nihil felici- ter succedat. Alii feliciter procedunt omnia: est sanus & incolmis, apud omnes in gratia, fortuna- tus & in re lauta. Hic etiam apud aliquos fit *oculus malus*, lividus & invidus, murmurat caro & con- queritur: Cur ego verò præ aliis mane, & ad æ- stum diei vocatus sum? Hic respondebat paterfamilias: *non facio tibi injuriam*. Ego voco quem volo, & quando volo, & quomodo volo. *An non licet mihi quod volo facere in rebus meis?* Non obstrictus sum, ut tibi reddam rationem, sufficiat tibi mea gratia. Sed hic sunt aliqui adeò impudentes, ut velint patrifamilias præscribere, quando iplos vocare debeat: non voca me mane, sed vesperi, ne multa cogar pati. Sed paterfamilias dicit: Ego novi verum tempus, quando quemvis vocare de- beam, tu, quando te voco, me sequere. Si vis in fo- ro manere, experieris, cui nocueris. Si ob æstum & pondus diei murmuras, & dicis, potius exce- dam ex vinea, quam tale onus gestare: tum re- spondet paterfamilias: Ego quidem quæsivi salu- tem tuam, ut in æternum tibi bene esset: led, si quidem non vis salvari, tolle quod tuum est, & abi, satis mature experieris, quid respu- ris, quando veneris in locum, in quo est stridor dentium.

VI. Possunt etiam aliquot œconomicæ do- strinae ex hac parabola desumti. Quales sunt haec:

1. *Paterfamilias exiit æsti, summo statim diluculo, ad conducendos operarios.* Hoc omnibus patribusfa- milias præbet hanc doctrinam, ut mane surgant, & rem suam familiarem current atq; promoveant. Oculus enim Domini, ut vulgo dicitur, sagitat e- quum. Matutinæ hora non tantum aptæ sunt pre- cibus, studiis & sacris, sed etiam omnibus operi- bus. Veteres matutinis horis consecrarent sua sacra, suas deliberationes, & graviora negotia. Quando rusticæ demum circa meridiem ad ser- vitiæ sua veniunt, raro nobiles agri in flore stant. Ideo Solomon de pigris dicit Prog. 26, 14. Sicut o- stium vertitur in cardine suo: sic piger in lectulo suo. Quemadmodum ergo ostium in cardine nihil promovet, sic talis manet etiam Johannes in eo- dem. Nihilo meliores sunt, qui diem in noctem & noctem in diem commutant. Esa. 5, 20. Sic Helo- gabalus interdiu vel comessabatur vel dormiebat;

nocte seria tractabat, contra Dei ordinationem, de qua David scribit Psal. 104. v. 23. quod Deus diem homini dederit ad laborem, noctem autem ad quietem. Neque commodat talis inertia vale- tudini, & multos pravos humores corpori inge- nerat. Breviter, nocet corpori, fortunis, animæ. Qui non credit, perit.

2. Exiit hic paterfamilias ad conducendos ope- rarios, non otiosos, in vineam suam. Passim ma- gnæ audiuntur querelæ, & fortassis nimis veræ, quod pauci fideles servi, pauci industrii, & prom- pti operarii inveniantur. Illud hinc sit, quod tales dæmones putant, Deum nihil id curare, an fideli- ter, an negligenter laborent: sed graviter errant. Hic paterfamilias nullum vult otiosum stare, & in primis contra eos, quos undecima adhuc hora in foro invenit, graviter & severe inquit: *quid hic statis totam diem otiosi?* Nam revera nullius rei ja- ctura gravior est, quam temporis. Ideo Apelles dixit: Nulla dies sine linea. Et Cato nunquam gravius indoluit, quam si diem inutiliter insum-isset. Quid ergo illi Deo respondebunt, qui inutiliter pueritiam, juventutem, virilem ætatem & magnam partem senectutis traduxerunt. Quam graviter illi dolebunt, quando conscientia evigila- verit, cum dicet: O mihi præteritos referat li Ju- piter annos. Nam si quis tota Biblia perlustraret, inveniet in omnibus libris dicta & exempla, quæ contra hujusmodi otiosos producere possit. Ad- amus, cum adhuc esset in statu integratis, & para- disus omnia sponte produceret: tamen a Deo ad laborem ire jussus est. Jam post lapsum labor quasi in pœnam impositus est. Gen. 3. v. 19. In su- dore vultus tui vesceris pane tuo. Aliqui autem comedunt & bibunt, ut sudent; & laborant, ut frigeant. Labor etiam homini est additus loco medicinae. Nam ut aquæ, nisi moveantur, putre- scunt: ita in homine humores. Exemplum habe- mus in Davide. Quamdiu ille bellis & adversitatibus exercebatur, tam diu orabat, psalmos com- ponebat, & bonis operibus studebat, quam pri- mum fit otiosus, adulterio & homicidio se conta- minat. Ethoc non tantum de viris, sed etiam de mulieribus est dicendum. Ideo Paulus 1. Tim. 5. v. 13. viduas iuvenulas, quæ otiosæ, verbosæ & cu- riöse circuire discent, rejicit. Rectius fecit Anna Tobia senioris uxor, quæ maritum suum cœcum labore manuum suarum aluit. Tob. 2. v. 19. Salo- mon quoque Prog. 31. v. 10. prolixè refert, quo- modo mater sua regina gynæcium suum ad labores astuefecerit. Job hæc omnia in unum fascicu- lum colligit, dum scribit cap. 5. v. 7. Homo na- scitur ad laborem, sicut avis ad volatum. Nam etiam aviculae advolando ad escam laborare coguntur. Ex scriptis quoque Ezechielis & Pauli manifestum est, ipsos otiosos fuisse infensissimos. Ezech. 16. v. 49. Sodomæ & filiabus ejus adscribit otium. Nam plerumque, ubi est fertile solum, ibi luxus & lusus, superbia, ebrietas & fastus dominari solent. Hoc fecere Sodomita, mane jentaculum, circa meridiem prandium, postea merendam, sub noctem cœnam, tandem repotia sumserunt, donec ignis de cœlo decidit, qui omnes consumit. Paulus au- tem disertè scribit 2. Thess. 3, 10. Si quis non vult operari, nec manducet. Et Eph. 4. v. 28. otiosos furibus æquat. Qui furabatur, jam non furetur:

magis

magis autem laboret , operando manibus suis quod bonum est , ut habeat , unde tribuat necessitatem patienti . Non ergo tantum concionatores labores urgeant : sed etiam magistratus suos habeat censores , qui in otiosam juventutem animadvertant .

3. Cum vespera advenisset , mandavit Dominus vineæ Procuratori suo , voca operarios , & redde illis mercedem . Præbet ergo hoc illam doctrinam , quod operariis merces sine mora sit solvenda . Nam fidus labor , requirit fidam mercedem : prout ratio ipsa hoc docet . Ac Deus ipse Lev . 19 . v . 13 . præcipit . Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane . Et Deut . 24 . v . 14 . Non negabis mercedem indigentis , & pauperis fratri tui ; sed eodem die reddes ei premium laboris suante Solis occasum , qui eo sustentat animam suam : ne clamet contra te ad Dominum , & reputetur tibi in peccatum . Judæi semper fuerunt tenaces , ea que de causa tam arctis indiguerunt mandatis . Sed , proh dolor , multos inter Christianos , quoad hoc vitium , habent fratres . Nam non tantum querelæ audiuntur de infidelibus operariis , sed etiam de illis , qui nimis tædiose & tarde mercedem laboris solvunt . Inveniuntur nobiles , qui in re ampla sunt , qui pecuniam in cista habent : & tamen ephippiarius , tutor , sartor , faber , decies & amplius , cum dispendio suarum operarum coguntur ipsos adire , & de debito humiliter monere . Alii erga equites , aurigas & reliquos ministros adeo sunt duri , ut nihil supra . Cogitent ergo tales Domini , quid ipsi in tabella œconomica proportionatur ex Eph . 6 . v . 9 . & Col . 4 . v . 1 . Sciant , se in cœlis quoque habere supra se Dominum cui rationem reddituri sunt : & gemitus ministrorum justi ipsis non proderunt . Jacobus etiam Apostolus mercedem laboris retentam inter peccata clamantia recenset c . 5 . v . 4 . Ecce merces operario rum , qui messuerunt regiones vestras , quaæ frumenta ait à vobis , clamat : & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introit .

VII. Doctrina de Prædestinatione quoque ex hac parabola tractari potest . Qui sane Articulus est valde difficultis . Nam etiam pia mentes interdū difficulter hasce cogitationes excutere possunt . Si es ad salutem electus & prædestinatus , benè res habet , non potes salute excidere , qualitercunque vivas . Si non es prædestinatus , actum de te est , quocunque agas . Nam DEI prædestination peracta est , antequam mundi fundamenta jacerentur . Eph . 1 . v . 4 . Et hoc propositum DEI falli non potest . Hoc monuit aliquos ante hæc tempora , ut putarint de hoc Articulo in Ecclesia prorsus non docendum esse . Sed tales errarunt . Quia enim omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum 2 . Tim . 3 . v . 16 . omnino etiam hic Articulus ad pietatem , pœnitentiam & consolacionem accommodari potest : prout liber Concordia admodum pie & erudit id monstrat . In primis autem phanatici doctores , prophani & horribilibus suis phrasibus , hunc articulum totum fere odiosum reddiderunt , quales sunt : Quod DEUS majorem partem humani generis ad damnationem crearat & prædestinarit : quod DEUS in confilio suo decreverit , quod talium reproborum nunquam misereri velit : quod

tales nec Evangelio credant , nec juxta illud bene operentur , quia non sint prædestinati : quod licet tales baptizentur , baptifuius tamen ipsis non profit : quod Electi , utcumque gravissime peccent ; non tamen amittant Spiritum sanctum . Et consimiles horrendas voces plures effundunt , quas referre non libet . Si quis ipsis objiciat , Christi dictum Joh . 3 . v . 6 . quod Deus mundum dilexerit . Mundus autem non denotet electos , sed perditos . Ibi alii mirifice se torquent in vocula Mundus , quaæ ipsis Electos notare cogitur . Alii duplificem faciunt dilectionem Dei : unam , qua aliquos per Christum liberet : alteram , qua ita diligit , ut tamen nihil cœlestium bonorum ipsis attribuat , sed in peccatis & Satana potestate relinquit . Hunc verò Articulum Christus in hac parabola breviter paucis hisce membris complectitur .

1. Qui cupiunt salvari , & certi esse , an sint in numero electorum , eos non remittit in cœlos , ut ibi scrutentur fatales tabulas Electionis ; sed recurrit in vineam , in Ecclesiam , ad verbum vocationis . Quos enim Deus salvare vult , illos vocat per verbum Evangelii : & quos ita vocat , illino rit , Deum ipsis non ludificare , prout impii quidam blaterant : sed serio ipsorum salutem extitere . Hic verò mox aliqui excipiunt : Atqui Deus multos non vocat , non vocat Turcas , non Tartaros . Hic cum D . Paulo 1 . Cor . 5 . v . 12 . responde possem : quid mihi de iis , qui foris sunt , judicare ? sed sciendum , quod Turcae etiam in majoribus sint vocati : quod autem illi verbum vocationis abjecerunt , ipsorum culpa factum , & lunt nunc impii posteri culpam impiorum majorum .

2. Cum iis , quos Deus ita vocat , facit conventionem de denario . Denarius est , ut supra monimus , Christus , siclus Israëlis , qui ad nostram redemtionem in mundum missus est . Hic complectitur omnia , quaæ ad opus redemtionis pertinent , & qua sequuntur , qualia sunt , pœnitentia , fides , sanctitas , & similia . Deus quidem filio suo totum mundum dedit hereditatem . Psal . 2 . v . 8 . sed non absolute ad salutem , vult enim omnes quidem salvos fieri : sed ita ut ad agnitionem veritatis veniant . 1 . Tim . 2 . v . 4 . Qui ergo veritatem suscipit , & in Christum credit , is salvabitur : qui veritatem rejicit , nec redemtionis denarium servat , is damnabitur , Marc . 16 . v . ult .

3. Insuper Deus tales vocatos & conductos remittit in vineam , non ad otium , sed ad laborem , ut pondus dicti easum portent . Hic & adversa patienter sunt toleranda , & bona opera strenue promovenda . Sumus enim nos vocati Christi Eph . 2 . v . 10 . nova creatura in Christo Jesu , ad facienda bona opera , qua preparavit Deus , ut in illis ambulemus .

4. Quando quis hæc tria habet : vocationem , fidem in Christum , studium honorum operum , qua de fide testantur , tum de sua prædestinatione & electione ne minimum quidem dubitet : tantum caveat , ne ob bona opera , qua præstitit , insolecat : sed operam det , ut in timore & tremore suam salutem operetur , & Deum assidue precetur , ut ipse , qui bonum opus in ipso inchoavit , illud etiam perficiat . Phil . 2 . 12 . Talis etiam non dubi-

dubitet de mercede. Nam, ut habet parabola, sub vesperam vocantur omnes operarii, & quisq; accipit suam mercedem. Hoc modo doctrina Prædestinationis non à priori est ordienda; sed à posteriori addicenda, tum præbet homini firmam catenam, quæ in cælum ipsum attrahere potest. Hanc catenam nexit nobis Paulus. Rom. 8.v.30. Quos Deus prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, eos & glorificavit.

Hic autem quis objiciat: Attamen in hac parabola scriptum est, quod unus ex vocatis & laborantibus ex vinea ejectus, & quod suum eß, tollere auge abire jussus est. Ad hæc tota parabola hoc dicto concluditur: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Itaque tria illa membra, ex quibus me de electione mea certum esse posse, dicens, non sunt adeo firma. Resp. Hoc nobis in præmonitionem præscriptum: Nam quod aliqui rejiciuntur, non Dei, sed ipsorum culpa fit. Quare tu caveas, ne in eandem culpam incidas. Nam quando Deus homines ad salutem & vitam æternam vocat, tum illic non sunt uno modo affecti.

1. Alii nolunt verbum vocationis audire: sed sicuti surdae aspides obturant aures suas. Psal. 58. v. 5. indurant corda sua. Psal. 95. v. 8. non obediunt Evangelio. Rom. 10. v. 16. & quando Christus ipso vult congregare sub alas suas. Matth. 23. v. 34. ipsi nolunt. Num tales Deus in cœlum suum admittet?

2. Aliqui acceptant quidem Evangelium, sed tantum ob temporalia bona, non ut per illud sub cruce salventur: sed ut bonos delicatos dies habeant, aut ex bonis Ecclesiæ ditentur. Quando verò DEUS ipso non statim introducit in terram lacte & melle fluentem, sedad tempus in deserto circumducit, mox recidivam patiuntur, reverti volunt ad ollas suas Ægyptiacas, sicut olim Israelitæ fecerunt. *Quis hisce cœlum daret?*

3. Multi etiam in vinea sunt otiosi, inò turbant & impediunt aliorum labores in Ecclesiæ, rident aliorum devotionem. Ipsi verò interea sunt frigidi, non orant, indulgent propriis cupiditatibus: Fugiunt æstum & onus diei, sectantur prava sodalitia. *Quid de his judicandum erit?*

4. Deniq; multi sunt murmuratores superbi, qui ob dona sua plus esse & videri volunt, quam alii. Hi quoq; Deo displicant & rejiciuntur. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum & super omnem arrogantem humiliabitur. Esa. 2.v.12. Hæc si quis vitet, & strenue sequatur vocationem, constanter Christo adhæreat, eoque sit contentus, sit patiens in cruce, & maneat in humilitate, tum nullum subest periculum reprobationis.

VIII. Adhuc unam addemus doctrinam. Quidam Patrum, ut Origines, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Gregorius, dicunt, per quinque horas, in parabola nominatas denotari

quinq; ætates hominis. *Mane* denotat pueritiam: *Hora tertia* juventutem: *Hora sexta*, quando Sol est altissimus, virilem ætatem: *Hora nona*, decrecentem ætatem, quia Sol vergit ad occatum: *Hora undecima*, decrepitam senectutem. Et volunt, ut hinc agnoscamus immensam Dei bonitatem, qui nolit mortem peccatoris. Ezech. 18, 23. sed velit omnes homines salvari. 1. Tim. 2, 4. quia per omnes horas & ætates eos vocat. Aliqui sequuntur ipsum in pueritia; ut Samuel, Jeremias, Jolias, Baptista. Alii in juventute: ut Timotheus & Titus. Alii in virili ætate, ut Petrus, Andreas, Paulus. Alii in senectute. Hic jam quisq; ad se applicet, & attendat, an vocationi in singulis ætatis facta, etiam pareat. Si in infancia fuisti petulans puer, nolusti obtemperare parentibus, præceptoribus, magistris, facias id in juventute tua Eccl. 12, 1. Memento creatoris tui, in juventute tua. Si etiam in juventute tua cum acolasto Luc. 15. v. 13. prava sodalitia, & luxuriam secutus es, fac id in virili ætate, & ora cum Davide ex Ps. 25, 7. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Si etiam virilem ætatem non Deo, sed mundo confecrasti, vel saltē in senio te serio ad Deum converte, & ex Ps. 71, 9. ora: Ne projicias me in tempore senectutis; cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Si etiam hanc ætatem elabi passus es: propter Deum mature convertere, quia clepsydra mortis properat ad finem. Si nondum mortuus es, & dies adhuc vocatur Hodie, porta gratiæ & salutis adhuc patet: si mors prævenit, nulla postea valet pœnitentia. Quapropter nemo pœnitentiam differat, donec arbor cadat. Nam prout ceciderit: ita erit Eccl. 11. v. 3. Et Angelus jurat Apoc. 10. v. 6. per viventem in secula seculorum, non fore amplius tempus, scilicet ad pœnitendum. Quidam hic securè peccant in Dei misericordiam, & proinde pœnitentiam de ætate in ætatem differunt. Sed benignitate Dei non abutamur. Rom. 2, 4. Nam, ut rectè Augustinus monet: Deus quidem per omnes ætates vocat sed tu incertus es, utrum omnes ætates sis permeatus. Quin potius imitemur operarios in parabola, qui, qua quisq; hora evocari solet, ea ivit in vineam: ita tu quoque eas, quando vocaris. Semper prætendimus latronem, qui demum undecima hora ferè elapsa conversus sit: quid si verò idem si matutinus vocatus fuisset, matutinus etiam venisset? Qui verò suam pœnitentiam de die in diem differunt, illi ferè à morte præoccupantur, ut salutis nullam curam neque per se, neq; per alios agere possint, atq; sic anima & corpore pereant. Exempla talium, qui sic pereunt, ætas nostra multa vidi: sed eorum, qui ea attendant, & ex illis se emendent, sunt pauci.



Aaaaaa

CA-

CAPUT CXXXIII.

CONTINENS HISTORIAM, QUOMODO MARIA
ET MARTHA NUNCIARINT CHRISTO FRA-
TREM LAZARUM ÆGROTARE.

JOH. II. V. 1.

RATIO ORDINIS.

Non extat in toto codice Evangelico jucundior historia, quæ pluribus doctrinis & consolationibus abundet, quam hæc de Lazarō redivivo. Quapropter omnibus piis mentibus exactè nota esse debet, ut ex ea, tam in vita doctrinas, quam in morte solidas consolations haurire possint. Hujus autem præstantissimæ historiæ primæ parti hunc locum attribuere cogimur: quia, ut ex sequentibus liquido patebit, quæ tres Evangelista, Matthæus, Marcus & Lucas parabolæ de vinea subjunxerunt, pertinent ad illam profectionem, qua Christus ex Petra Bethaniam venit, & quam intra biduum absolvit. Si quis tamen velit hanc primam hujus historiæ partem subjungere disputationi Pharisæorum de divorcio, & prætermittere benedictioni parvulorum, quia Christus accepto nuncio de morbo Lazari,

mansit in eodem loco duobus diebus, ut sic biduo illatribuantur, quæ in proximis tribus capitibus tractavimus, illi Ego non multum refragabor. Nam ex Evangelistarum descriptionibus hoc observare licet: quod in tribus annis ministerii Christi tantum præcipuas historias, conciones, miracula annotarint, quæ in singulis annis acciderunt. Postquam autem propè ad passionem perventum est, consignarunt, quid singulis diebus acciderit: in ipsa vero passione etiam secundum horas historiam ordinarunt, ut sic diligentiam suam Christiano orbi probarent. Cumque admodum propè ad historiam passionis accesserimus, non inconcurre posse illæ tres historiae & conciones illi biduo, quo adhuc Christus in illo loco commoratus est, attribui. Nos tamen, ne historia ipsa nimis procul ab invicem distraheretur, primam partem huc reponere maluimus.

MARIA ET MARTHA CHRISTO NUNCIANT, FRA-
TREM LAZARUM ÆGROTARE.

JOHAN. II.

1. Ήν δέ τις ἀδενῶν λάζαρος ὅστις βιθανίας, ἐπὶ τῷ κα-
μητοῦ μαρτίας τῷ μαρτίᾳ τῷ ἀδελφῆς αὐτῆς.
2. Ἡμεῖς μαρτίας οὐκέτι οὐδὲν τὸν κύριον μύρῳ. καὶ ἐκμά-
ξασα τοὺς πόδας αὐτῆς θρησκευτής, ηὗ ὁ ἀδελ-
φὸς λάζαρος οὐδέναι.
3. Απεγέλαν τὸν ἀδελφὸν αὐτὸν πρὸς αὐτόν, λέγεις,
κύριε, οὐ φιλέις, αἰδενεῖ.
4. Ακόπος δὲ ὁ Ἰησος, ἀπεν, αὐτὴν ἀδενεῖαν ἐκ τοῦ
ποσειτοντος, ἀλλ' ὑπὲρ τὸν δοξοντὸν θεόν. οὐαδοξε-
ωθῆναι τὸν θεόν δι αὐτὸν.
5. Ήχαπα δὲ ἡ Ιησοτὴν μαρτίαν, γε τὸν ἀδελφὸν αὐτὸν, καὶ
τὸν λαζαρὸν.
6. Ως δὲ πέπον ὅτι ἀδενεῖ, τότε μὲν ἔμεινεν, ἐν φῶι
τόπῳ, δύο ἥμέρας.
7. Ἐπειδεὶ μετὰ τέλο λέγει θεοὶ μαθηταῖς, ἄγομεν εἰς τὴν
ιεδανιαν πάλιν.
8. Λέγεσθαι αὐτῷ οἱ μαθηταὶ, φαῦτοι νῦν ἐζήτουν σε λιθάσας
οἱ ἰεδανοὶ, καὶ πάλιν ὑπάρχεις ἐκεῖ;
9. Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησος, ὃχι διδεκά εἰσιν ὄρμαι τὸν ἥμέραν;
ἐάν τις πειπατεῖ εἰς τὴν ἥμέραν, καὶ πεστοκόπῃ, οὐτοὶ
φῶις τὴν κοσμητικὴν ὕλην,
10. Εάν δέ τις πειπατεῖ εἰς τὴν νυκτίν, πεστοκόπῃ, οὐτοὶ
φῶις εἰς τὴν αὐτοῦ.
11. Ταῦτα εἶπε, καὶ μετὰ ταῦτα, λέγει αὐτοῖς, λαζαροῦ οὐ.
1. Egrotabat autem quidam nomine Lazarus Be-
thanensis, à castello Marie & Marthe hujus
sororis.
2. Maria autem erat ea qua unxit Dominum unguento,
& extensis pedes ejus capillis suis, cuius frater La-
zarus agrotabat.
3. Misericorditer ergo sorores ejus ad eum, dicentes, Domine,
vide, quem amas, egrotat.
4. Audiens autem Iesus, dixit, infirmitas hec non
est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur
filius Dei per eam.
5. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem ejus
& Lazarum.
6. Ut ergo audivit, quod egrotaret, tumquidem tem-
poris mansit in eodem loco, quo erat duobus
diebus.
7. Deinde post hoc dicit discipulis: Eamus in Ju-
dæam iterum.
8. Dicunt ei discipuli, Rabbi, modo querebant te Ju-
dæi lapidare, & iterum vadis illuc?
9. Respondit Iesus, Nonne duodecim sunt hora diei? Si
quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem
buju mundi videt.
10. Si quis autem ambulaverit in nocte, offendit, quia
lux non est in eo.
11. Hec ait, & post haec dicit eis, Lazarus amicus

q[uo]d i[n] q[uo]d